



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **MARTYRES ID EST CATHEDRALE TEMPLUM**
ARCHIDIOECESIS S. CRUCIS DE SIERRA,
IN BOLIVIA, AD GRADUM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Martyres, id est eos, qui
vitae testimonio Christi fidem confirmaverunt, honorari a fidelibus et invocari, id quidem semper in more atque
consuetudine Ecclesiae catholicae fuit, iam inde a primaeva christianaee religiones aetate: non solum enim sunt illi amici
dilectissimi Christi, qui se promisit eos confessurum esse apud caelestem Patrem, qui eum confessi essent coram
hominibus (cf. *Matth.* 10, 32), sed etiam solleciti christianorum patroni, ad hominum preces accipiendo proclives. Qua
re, cum Venerabilis Frater Aloisius Rodriguez Pardo, Archiepiscopus Sanctae Crucis de Sierra, suo ac suorum fidelium
nomine, id ab hac Apostolica Sede petierit, ut cathedral templum Ecclesiae suae ad dignitatem Basilicae Minoris
eveheretur, Nos, re bene reputata, esse nempe illud et maiestate, et arte, et, quod maximum est, pietate illustre, quae ibi
impense colitur erga Deum eiusque Matrem, atque singulari ratione erga S. Laurentium Martyrem, cui templum est
dicatum; bene fieri censuimus, si admotis precibus concederemus. Quae cum ita sint, iis probatis, quae Sacra
Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino hac de re egit, placet sacram aedem cathedralm archidioecesis Sanctae
Crucis de Sierra, in Bolivia, titulo ac dignitate honestari Basilicae Minoris, factis nempe iuribus atque liturgicis
concessionibus talium templorum propriis, modo servata sint quae decretum «De titulo Basilicae Minoris» requirit, die VI
datum mensis Iunii, anno MDCCCCLXVIII. Contrariis nihil obstantibus. Ceterum optamus idque precibus a Deo petimus,
ut auctus templi honor ad altiorem quoque stimulet animorum virtutem. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo*
Piscatoris, die XXV mensis Novembris, anno MDCCCCLXXX, Pontificatus Nostri tertio. AUGUSTINUS Card. CASAROLI,
a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1980 - Libreria Editrice Vaticana
